NOMINA.

Lactuca unde dicta.

C ΘΡΙΔΑΞ Græcè, Lactuca Latinè: officinæ latinum nomẽ rẽtinuerunt: Germanicè Lattich/oder Lactuck nominatã. Dicta autem Lactuca est, quòd copia lactis, quod credebatur leniter mouere uentrem, exuberet: unde apud ueteres in primis epulis ueniebat, quod Martialis etiam ijs testatur uerbis:

Prima tibi dabitur uentri Lactuca mouendo Vtilis.

GENERA.

Lactuca primum in satiuam & syluestrem deducitur. Satiuæ tria sunt genera, crispa nimirum, rotunda, & capitata. Nos una icone duo complexi sumus genera.

Crispa Lactuca. Folium enim quod statim à radice erumpit, eam Lactucam refert quæ Latinis crispa, à foliis crispissimis, Germanis krauser Lattich/appellatur. Columella lib. xi. cap. iij. Cecilianam & Beticam à regionibus in quibus crescit, nominat. Reliqua fo-

Rotunda. lia eam quæ Rotunda à foliis rotundis uocatur, præ se ferunt. Germanicè breiter

Capitata. Lattich nominatur. Tertij generis Lactuca, quę Capitata dicitur, à foliis suis, quæ ubi parum à terra attolluntur, mâli cuiusdam speciem rotundam obtinent, & instar Brassicæ capitatæ, in capitis ferè formam extuberant. Germanis grosser Lattich/uel weisser Lattich à semine candido nominatã. Syluestris Lactuca satiuę opponitur, sponte enim sua in aruis nascitur. Germanis wilder Lattich nuncupatur.

FORMA.

Satiua prima, cuius imaginem hic damus, folia Intybo satiuo haud dissimilia habet, in rectumq; surgit, caulibus in summo brachiatum, in quorum cacumine flores sunt lutei. Altera foliis, quę crispa admodum sunt, duntaxat à priori uariat, aliàs per omnia similis. Sic etiam capitata non nisi foliis suis, idq; dum paululum creue-

D runt, à priorib. differt. Ideoq; duab. picturis, quę omnes referunt, contenti fuimus.

Lactuca syluestris. Syluestris similis est satiuæ Lactucæ, radice tamen breuior, proceriore caule, candidioribus foliis, gracilioribusq;, asperioribus, & gustu amaris, quæ, ut addidit Theophrastus, ubi cõsummata sunt aculeantur. Ex qua deliniatione abunde constat, Lactucam syluestrem esse eam herbam, quæ passim nunc ab officinis & herba-

Officinarum error. rijs, nõ sine magno errore, Endiuia dicitur. Ea enim in aruis & uinearum limitibus sponte nascitur, folio Lactucæ, & cum adoleuit per oras aculeato, & laciniatim serrato, caulib. bicubitali proceritate consurgentibus, spinulis inhorrescentibus, quibus succus ineſt lacteus, amarusq;, flore ut Lactuca satiua luteo. Desinant itaq; deinceps ea herba pro Endiuia uti medici, si modo recte consultum ægris cupiunt.

LOCVS.

Satiua in hortis prouenit, Syluestris in aruis & uinearum hortorumq; macerijs sua sponte nascitur.

TEMPVS.

Florent Iulio mense, atq; subinde semen proferunt.

TEMPERAMENTVM.

Lactuca satiua humidum est frigidumq; olus, non tamen extremè: siquidẽ edendo non foret: uerum maxime secundum aquæ, ut sic dicam, fontanæ frigiditatem. Symeon Sethi frigidam & humidam in tertio ordine statuit. Syluestris autem minus refrigerat & humectat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Satiua Lactuca stomacho accommodata est, refrigerat, somnũ conciliat, aluum mollit, lactis abundantiam facit. Elixa magis alit. Illota autem comesta stomachicis prodest. Semen eius potum uenerem assidue somniantibus opitulatur, & concubitum arcet. Ipsæ tamen frequentiores in cibo, claritati oculorum officiunt. Condiuntur muria. Quum in caulem prodierunt, uim quandam nanciscuntur succo aut

LACTVCA SATIVA CRISPA ET ROTVNDA.